





9795

No. 813.

*Christi Benedictio Ditet*

Disputationum Juridicarum  
DECIMAM QVARTAM

1643, 1

29

DE

LITIS DENUN-  
CIATIONE,

*Quam*

*Consensu & Auctoritate*

Magnifici Domini Ordinarii

& Amplissimi Jurisconsultorum

Ordinis

In celeberrimâ Lipsiensium Academiâ,

P R Æ S I D E

CASPARE Bierling / U. J. DOCTORE,  
& Reip. Patriæ Prætorè,

R E S P O N D E N D O

*Publicè defendet*

DAVID Zenichen / FREIBERG. MISN.

In Auditoriò *J*CTORUM Petrinò

*Januarii*  
Ad d. 29. Octobris An. 1643.

L I P S I Æ,

Typis GREGORII Kitzschens.



VIRIS

*Amplissimis, Prudentissimis,*

DNN. COSS. TOTIQ; IN-  
CLUTÆ REIPUBL. FREIBERGENSIS

Ordini Senatorio selectissimo,  
dignissimo,

Dnis Patriæ Patribus, Patro-  
nis ac Evergetis suis multis nominibus  
suspiciendis, honorandis,

*ACADEMICUM HOC EXERCITIUM*

*In*

*Studiorum commendationem, & ut  
hactenus, ita in posterum benivolè pro-  
movendorum submissam petitionem*

Summâ, quâ fieri potest, reverentiâ  
devotissimus offert.

RESPONDENS.



In nomine **JESU!**

**B**lennum, & quod excurrit, abiit, ex quo per necessariam inq; praxi perusitatam *Eviotionum* materiam, in Disputatione Publica, pertractavimus. Cum vero *Litis Denunciatio* illi maxime confinis sit, imò absque legali illa denunciatione *Eviotioni* vix locus concedatur; Ideoq; eam hac Disputatione, Divino implorato auxilio, in thesibus sequentibus proponere, operæ precium esse duximus.

T H E S I S

(1.)

**A**cturi de *Litis Denunciatione*, paulò altiùs, & *Nominis* & *Rei* enodationem repetendam esse existimamus.

(2.) *Nominis* cognitionem quod attinet, *duo* substantiva nomina sunt copulata. Unum *Litis*; alterum *Denunciatio*.

(3.) *Litis* vocabulum haud dubiè est primitivum & multarum vocum genitrix. nimirum litigium, liticula, litigator, litigiosus &c. Derivat quidem Isidorus in *c. forus. 10. vers. lis autem. X. de V. S.* à limitibus, eò quòd sæpissimè propter limites lites exoriantur, secundùm illud Virgilii *lib. 12. Aeneid.*

Limes erat positus, litem ut discerneret agri.

*Petr. Greg. Tholos. in syntagm. jur. lib. 39. cap. 13. n. 3.* sed minùs Grammaticè.

(4.) Est autem vocabulum *μέσον*, quod in bonam & in malam partem usurpari potest. Variasq; habet significationes, tam Philologicas, quàm Juridicas.

A 2

(5.)

(5.) *Juridicè* modò sumitur, de ipsâ re in litem productâ. Hinc conjunctim voculam rei & litis legimus. in *l. si defunctus. 9. in fin. C. de Suis & legit. liber.* & quæ lis inofficiosi vocatur in *l. pater. 6. ibi: quæ inofficiosi lite perlata. ff. de Dot. collat.* res inofficiosi nuncupatur in *l. Papinianus. 8. §. 1. ibi: si quis post rem inofficiosi ordinatam. ff. de Inoff. testam.* Hinc litis æstimatio, nihil aliud quàm rei æstimatio est. *l. ult. ff. de Condiçt. tritic.* Ex quibus etiam intelligi potest, quod Cicero in *Oratione pro Murenâ* ait: Tot homines tam ingeniosos, statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum: judicem an arbitrum: rem an litem dici oporteret.

(6.) Modò sumitur de ipsâ actione, sive in rem, sive in personam. per text. in *l. litis nomen. 36. ff. de V. S. l. un. C. de Lit. contest. l. properandum. 13. in pr. ibi: ne lites fiant penè immortales. C. de Judic.* Hinc litem in judicium deducere: *l. si mater. 11. §. hoc jure. 7. ibi: litem in judicium deducit. ff. de Except. rei jud. l. liberto. 31. §. litem. 2. ff. de N. G. l. si rem. 31. §. 1. ff. de Novat. & deleg. liti renunciare. l. destitisse. 10. ff. de Judic. videatur Johann. Gædd. ad d. l. litis nomen. 36. ff. de V. S.*

(7.) Hic loci, ipsum negotium seu litem ab aliò motam, & in judicium deductam denotat. *l. 1. C. de Lit. contest.* Sic lis inchoata, cæpta dicitur in *l. is autem. 12. ff. Ex quib. caus. maj. Ilico Umm. disp. ad Proceß. judic. 12. th. 1. n. 1. Ein Krieg oder Klage / die wieder einen in Gerichten angestellet / oder vor denenselben anhängig ist. Ad differentiam concertationum armorum vel verborum discendi gratiâ. Quomodo autem differat lis à bellò; à jurgiò; à controversiâ; à pugnâ; à digladiatione; à certamine vel concertatione; duellò & velitatione; passim apud Lexicographos legendum.*

(8.) Vocabulum *Denunciatio*, etiam in bonam & malam partem accipitur, & descendit à præpositione *de*, quæ interdum auget, ut *deamo*, h. e. valdè amo; *deprecor*, i. e. valdè precor: interdum diminuit significationem, ut *detraho*, *denudo* &c. & verbo *nuncio*.

(9.) Et itidem est ambiguum. Aliquando enim prohibere significat. *l. 1. in pr. §. nunciamus. 17. l. de pupillo. 5. §. si plurium. 6. ff. de Oper.*

*Oper. nov. nunc. §. summa. 1. vers. sunt tamen. ibi: denunciare & prohibere. Inst. de Interd.*

(10.) Interdum pro indicare seu deferre accipitur. *l. 1. in pr. l. bona fisco. 34. §. 1. ff. de Jur. fisc.* unde conditiones seu actiones in personam, etiam denunciationes appellantur. Siquidem olim quis confestim agere non poterat, sed diem reo condicebat & denunciabat solenniter, quâ ipse in iudicio adesset, responsurus actori. *text. in l. appellamus. 15. Inst. de Action. ubi Herman. Vultej. & communiter Doctores.* Quæ denunciatio insinuatio dicitur *in l. 2. C. Si ex plurib. tut. ibi Gothofr. lit. e. vid. Johan. Althus. in dicaol. lib. 2. c. 11. n. 2. Oswald. Hillig. ad Donell. lib. 21. c. 2. lit. k.*

(11.) Quò sensu quoque, denunciare crimen dicimus. *l. absentem. 6. cum l. seq. C. de Accusat. l. qui foveas urforum. 28. §. 1. ff. ad L. Aquil. & denunciatores criminum delatores: l. ab accusatione. 6. §. denunciatores. 3. ff. ad SCt. Turpill. & denunciatio criminis delatio appellatur. l. mulier. 4. in pr. ff. ad SCt. Turpill. c. licet Heli. 31. X. de Simon. c. super his. 16. X. de Accusat.*

(12.) Sic etiam denunciare testimonium alicui, idem est, quod ad testimonium dicendum aliquem vocare. *l. Lege Julia. 4. l. in-viti. 19. §. 1. ff. de Testib. l. eadem lege. 6. in pr. ff. ad L. Jul. repet. vid. Jacob. Cujac. lib. 7. obs. 15.*

(13.) Vocantur quoque edictales citationes, denunciationes, quando nimirum à Iudice is, qui copiam sui non fecit, per Officiales evocatur. *l. absentem. 5. in pr. ibi: qui neque denunciationibus, neque edictis presidum obtemperassent. ff. de Pæn. l. ea quæ. 7. §. tres denunciationes. 9. C. Quom. & quand. iudex. l. si Prator. 75. ff. de Judic. Hillig. ad Hug. Donell. lib. 28. c. 3. lit. B.*

(14.) Aliter per clarigationem, indictionem, notificationem, certificationem, evocationem ad assistendum circumscribitur. Germanicè, *Klage zur Vertretung/ vel Vertretungs-Klage/ vel Ankündigung des Kriegs-Rechtens. Proceß-Ordn. tit. 14. in pr. ad differentiam provocationum ad duellum, zum Balgen/ vel clarigationum per præconem, Feind. und Absag-Briefe. quæ de vid. Georg. Schönborn. lib. 6. polit. cap. 10.*

(15.) Pro subjectâ itaque materiâ, & secundum causam, propter quam quis evocatur, denunciationes suas appellationes for-

tiuntur. Nos hâc vice de illâ, quæ fit litis motæ causâ, & quidem ad eum effectum, ut alter compareat, & reum ab aliô conventum defendat, & à conventionè liberet, acturi sumus.

(16.) Atque sic vocabulum Denunciatio, non nudè, sed copulativè cum dictione litis prolatum, etiam varia habet *Synonymia*, quorum decem enumerat *Bart. in l. non solum. 8. §. morte. 6. ff. de Oper. nov. nunt.* Unde laudatio auctoris frequens in legibus est locutio, & litem denunciare auctorem laudare dicimus. *text. in l. Herennius. 63. §. Gaia. 1. ff. de Evict. & in l. auctore laudato. 7. C. eod. tit. h. e.* titulum suæ possessionis dicere, & autorem, à quô quis causam habet, nominare. *l. Pomponius. 13. §. 1. ff. de Acq. poss. l. an vitium. 5. in pr. ff. de Divers. & temp. presc. d. l. auctore laudato. 7. C. de Evict.* Item laudationis exceptio. *l. 1. & 2. C. ubi in rem act. exerc. deb. ubi Herman. Vultej. latè Johan. Zang. tr. de Except. part. 2. c. 2. per tot.*

(17.) Multum autem distat *laudare* à denunciare. Laudare sanè priscâ lingvâ significat nominare appellareq; . Unde *apud Maronem lib. 3. Georg.* illaudatus Buisiris, h. e. illaudabilis & nunquam nominandus. *Macrob. lib. 9. Saturn. cap. 7. Gell. lib. 2. Noct. Attic. cap. 6.* Est tamen & nomen juris, quod, si quis diligenter advertat, non modò nominare, sed & nominatim citare significat, & appellare, h. e. iudicio dictato interpellare. *latè Gulielm. Buda. ad l. Herennius. 63. ff. de Evict. p. m. 268. & seqq.*

(18.) Aliàs laudatio auctoris ab eo fit, qui suò ac propriò nomine possidet; *nominatio* autem, qui alienò nomine rem detinet, cui concessum est, statim in principiò litis eos in iudiciò nominare, quò ipsò causam & litem motam in ipsum nominatum dominum derivat. *per text. in l. si quis alterius. 2. C. ubi in rem act. exerc. deb. videatur Robert. Marant. in Spec. aur. part. 6. tit. de nomine auct. Sigism. Scaccia lib. 1. de Judic. cap. 30. n. 18. Frider. Hiltrop. in suo Process. judic. part. 2. tit. 27. per tot. Johan. Sichard. ad d. l. 2. C. ubi in rem act. Matth. Berlich. part. 1. pract. conclus. 24. n. 112. & seqq. Ilico Umm. disp. ad Process. 11. th. 9. & seqq.* Et tantum quoad nominis significationem.

(19.) Definitionem Rei quod attinet, misis aliorum.  
*Defini-*

*Definitionibus*; litis denunciationem (secundum thes. 15.) hęc modò describimus, quòd nihil aliud sit, quàm *actio* (thes. 20.) *personalis*, (th. 21.) *quã* (th. 22.) *quis* (th. 24.) *vel ex dispositione juris*, (thes. 31.) *vel conventionis*, (thes. 42.) *ideo* (th. 43.) *aliquem* (th. 44.) *in causã civili* (th. 57.) *coram eòdem Judice*, (th. 61.) *quò ipse pulsatus* (th. 70.) *legitimè* (th. 72.) *convenire potest, ut ipsum adversus suum autorem defendat*, (th. 83.) *Et nisi hoc faciat, omne damnum refundat.* (th. 90.)

Definitio  
Rei.

(20.) *Actionem* esse diximus, quia est jus persequendi in judiciò, quod sibi debetur. *pr. Instit. de Action.* Non enim de libellò vel formulã, von dem Denunciation Klage-Libell, vel ipsò actu denunciationis; sed de ipsò jure denunciandi, von dem Denunciation-Recht/agimus, quod à formulã & modò, aut actu vel facto denunciandi multùm distat. Jus per se stat, etsi in libellum, vel ad actum nunquam deducatur, vel per libellum judici exponatur, ut reo per facti narrationem accommodam demonstretur.

(21.) *Personalis* est, quia ex contractu verò vel quasi proficiscitur, & obligationem pro matre agnoscit, *ut ex infra dicendis apparebit.* Scimus equidem, quòd possit per actum definiri, sed non tam ipsum actum, quàm jus pariens actum consideramus, aliàs & omnes actiones intentatæ actus appellari possent.

(22.) Sequitur in definitione *quã*. Etenim sine hęc actione, vel jure persequendi, nemo alterum urgere potest ad assistendum liti sibi motæ. Est igitur hoc medium compellendi, quando alter non vult alterum defendere, sed indefensum temerè relinquit, cùm tamen ad defendendum sit obstrictus.

(23.) Et hoc jus *uniforme* est, nec rectè litis denuntiatio dividitur in *Judicialem* & *Extrajudicialem* à Sigism. Scaccia de Judic. quest. 54. n. 3. & seqq. Jacob. Cujac. lib. 5. observ. 31. Hilfig. ad Donell. lib. 21. cap. 2. lit. k. & lib. 23. c. 4. lit. D. p. 1054. in pr. vel in  
*Volun-*

Diviso.

*Voluntariam & Necessariam*, sive coactam à Job. Alibuf. in *Dicaol. lib. 3. c. 14. n. 15. & seqq.* vel in *Evangelicam & Canoniam* à Bald. in *auth. adhac. C. de Usur. n. 5.* addit *Angl. tr. de malef. verb. nec non ad denunciationem. num. 2. Regularem.* de quibus vid. *Sigism. Scacc. d. cap. 54. per tot. Domin. Cardin. Tusch. Pract. concl. 196. & 504. lit. D.* Sunt enim potius distinctiones nominis, quàm rei, nec ipsum jus est extrajudiciale, sed modus denunciandi potest esse extrajudicialis. Sic nemo ad denunciandum alteri litem cogitur, nisi dixeris tunc coactionem posse locum habere, cum tutor vel alius administrator rerum alienarum nolens volens ratione officii, nomine sui pupilli, cogitur, litem ipsi motam auctori suo denunciare. Qui verò in *Conventionalem & Legalem* dividet, à verò haud aberrabit. per ea, quæ *infra th. 25. & seqq.* dicemus.

Persona, quibus jus denunciandi competit.

(24.) Diximus *quis*. Intelligimus autem secundum Leges, per hanc voculam, non solum *masculos*, sed & *fœminas*. *l. si pro re pupilli. 22. §. 1. cum duabus Ll. seqq. l. Herennius. 63. §. Gaia. 1. ff. de Evid. Majorenes & Minorenes. d. l. 22. in pr. l. minor. 34. in pr. ff. de Evid. ut per tutores l. si ideò. 55. in pr. ff. d. t.* in judicium deducere possit. Imò regulariter indistinctè *omnes* homines. Reipublicæ enim interest, causæ suæ defensionem, quam plurimis patere. *arg. l. servum quoque. 38. §. publicè. 2. ff. de Procurat.* modò aliàs actiones acquirere, vel alterum sibi, vel ex conventionem, vel ex dispositione juris obligatum reddere possint.

(25.) Si quis tamen *sciens rem alienam* acquisivisset, meritò jus denunciandi ipsi denegatur, nec id quidem, quod ob rem dedit, repetere potest. *l. si fundum. 27. C. de Evid. ibi Hug. Donell. & ad l. non dubitatur. 6. n. 2. & seq. & l. non ex eo. pen. C. d. tit. Andr. Fachin. lib. 2. contr. cap. 40. in pr. Barnab. Cornazzan. decis. Rotæ Lucens. 125. per tot. Didac. Covarr. lib. 3. var. resol. n. 1. & 2. Baccov. ad Treutl. vol. 2. disp. 2. th. 7. lit. D. Umm. disput. ad Process. 11. thes. 5. n. 16. Fern. Vasq. lib. 1. contr. 2. n. 16.*

(26.)

(26.) Sic à *Judeo* rem *emans* sibi imputare debet, si conveniatur à Domino, quòd litem denunciare non possit. *LandR. lib. 3. art. 7. Weichb. art. fin. Matth. Coler. decis. 26. n. 2. & in parat. ad tit. de J. & J. part. 2. diff. 31. n. 143. & seq.*

(27.) Quod exemplo Judæorum non ineptè ad milites inferioris ordinis, vendentes eqvos, nostrò tempore transferri potest. Si quidem communiter emtores ex vilitate precii de legitimo acquisitionis titulo dubitant. *vid. der Reitterbestallung de Ann. 1570. art. 93. & faciunt ea, quæ habet Dn. Carpz. part. 4. C. 35. Def. 8. & 10.*

(28.) Nec solummodò illi, qui nomine proprio aliquem ad defensionem litis futuræ obstrinxerunt, sed & qui nomine alienò, puta per fidejussores indemnitate, *Eichadlosbürgen/ de quibus vide Magnificum Dn. Ordinarium & Consulem hujus Civitatis longè eminentissimum, D. Sigismund. Sincelthaus/ Observ. 107.* sibi de indemnitate prospexere, lites motas denunciare possunt. Parum enim interest, an quis suo nomine, an alienò alterum obligatum habeat. *l. auctore laudatò. 7. C. de Evict. Joan. Sichard. ad l. emtor. 8. C. d. t. n. 7. Anton. Capyc. decis. 107. n. 5. 6. & 9.* Sic quando convenitur à creditore fidejussor, potest non solum debitori, pro quo fidejussit, sed etiam suo fidejussori, dem *Rückbürgen/* vel confidejussoribus litem denunciare. *l. illud. 4. ff. de Eviction. vide infra thes. 54.*

(29.) Non solum autem illi, qui contraxerunt, vel quibus jura denunciandi facultatem fecere, jus denunciandi habent, sed etiam eorum *heredes* & successores universales, *l. sed etsi. 23. l. si ei. 41. ff. de Evict. l. sive possessio. 14. C. eod. tit. & quibus jura sua cesserunt. l. sinomen. 4. ff. de hered. vel act. vend.*

(30.) Præterea Descriptioni huic asuimus verba, *vel ex Materia, ex dispositione Juris, vel conventionis.* Non enim quilibet, <sup>quòd hoc jus</sup> quando convenitur, a modo alium ad defensionem evocare potest, sed is, cui vel *Lex*, vel qui sibi ipsi per *conventionem*, prospexerit, aut in alterius jus successerit. Videbimus præcipuas species, ubi ex dispositione Legis nobis hoc jus tacitè obtingit.

(31.) In primis ex *dispositione Legis*, atque sic ex quasi

B

con-

contractu, quem lex tacite introducit, hac actione uti possunt  
*emtores* adversus venditores, quando rerum emtarum nomine  
conveniuntur a vero Domino. *l. 1. ibi: si ei denunciatum est. C. de  
Peric. & commod. rei vend.*

(32.) Item *conductores* adversus locatores, quando mole-  
stantur a vero Domino rei locatae. *l. item queritur. 13. §. exercitu. 7.  
ff. Locat. cond. Zang. tract. de Except. p. 2. c. 2. n. 9. vid. Hier. Pantzsch-  
man. lib. 1. quest. 4. per tot.*

(33.) Nec non *creditores, in solutum* aliquid perperam  
accipientes. *l. si praedium. 4. ibi late Hug. Donell. C. de Evict. l. ele-  
ganter. 24. in pr. ff. de Pign. act. l. Julianus. 131. §. 1. ff. de V. O.*

(34.) Item *permutatores. l. si permutationis. 29. ibi: postea-  
quam ad defensionem fuerit denunciatum. C. de Evict. ubi Hug. Do-  
nell. l. 1. C. de Rer. permut. l. 1. & 2. ff. eod. tit.*

(35.) Per *transactionem* res alienas accipientes. *l. si pro-  
fundus. 33. C. de Transact. Secus se res habet, quando in illa re, qua  
ex causa transactionis dimittitur, alicuius moveretur. Ant. Fab.  
in s. Cod. lib. 8. tit. 29. def. 49. in fin. Amplif. Dn. Bened. Carpzov. in  
s. Defin. forens. part. 1. Const. 3. Defin. 26. & part. 2. Const. 34. Defin. 28. &  
in Respons. jur. Elect. lib. 3. tit. 2. resp. 18. Matth. Berlich. part. 1. pract.  
concl. 24. n. 45. 46. 47. late Hartm. Pistor. Observ. 227. Casp. Cabal. tr.  
de Evict. §. 4. n. 46. In his enim & similibus casibus, licet plane  
nihil dictum aut conventum de defensione in casum evictio-  
nis, tamen tacite subintelligitur, ac si expresse ac nominatim de-  
fensio promissa fuisset. *l. non dubitatur. 6. C. de Evict.**

(36.) Sic in *mandato* quandoque tacite subintelligitur.  
*Marant. in Spec. aur. membr. 6. tit. de Nomin. aut. n. 8. Zanger. de Ex-  
cept. p. 2. c. 2. n. 9. Berlich. part. 1. pract. concl. 24. n. 43. 44.*

(37.) Nec dubitandum, quin haeres coharedi tacite sit obliga-  
tus ad hoc, ut si patiarur litem a quopiam ratione rerum *legiti-  
mae* nomine datarum defendat adversus invasorem. *l. si quis. 36.  
in pr. C. de Inoff. testam. ibi Salycet. Aret. & alii. Fer. Vasq. n. 4. lib. 3.  
de Success. resol. p. 3. Pruckm. vol. 1. conf. 48. n. 174.*

(38.)

(38.) Pariter se res habet in *concurso creditorum*, ubi uni vel alteri creditori ratione prioritatis rei exsolutæ nomine dica scribitur. *vid. Matth. Berlich. part. 1. pract. conclus. 24. n. 67. & seqq.*

(39.) Idem iudicium in *contractibus innominatis*, qui cum nominatis, ex quibus evictio exsurgit, quandam affinitatem habent, esto. *l. 1. ibi latè Sichard. C. de Jur. dot. l. fin. ff. de Condict. caus. dat. caus. non sec. l. naturalis. 5. §. at cum do. 2. vers. sed si dedi. ff. de Præsc. verb. Francisc. Vro. lib. 3. decis. 510. n. 7. Hieron. Pantzschm. lib. 1. quest. 4. n. 9.* Quia emtionis- venditionis verbum, omnem contractum, per quem inducitur rei alienatio, comprehendit. *l. statu liberi. 29. §. 1. ff. de Stat. liber. & ratio denunciationis in iis quoque obtinet, ut nimirum contra auctorem possit habere regressum de evictione. Process-Ordn. tit. 14. in pr. vers. So soll solches in denen Fällen/da es sonst zu Recht statt hat/ıc. Ampliß. Dr. Bened. Carpz. in f. Def. forens. p. 1. C. 3. Def. 25.*

(40.) Et generaliter sciendum, ubi quis tenetur in genere facere rem accipientis, ibi semper potest alterum ad defensionem evocare. *Matth. Berlich. p. 1. pract. concl. 24. n. 39. & seqq.*

(41.) Modò sit causa *onerosa*. *arg. l. sciendum. 52. ff. de Evict. Martin. Monter. decis. 13. n. 10. Sichard. ad rubr. C. de Evict. n. 12. in fin. Johan. Schneid. ad §. actionum. tit. de Act. ex emt. n. 42. Inst. de Act.* In *lucratis* enim, e. g. *donationibus*, *l. quoniam avus. 2. C. de Evict. ubi latè Hng. Donell. l. ad res donatas. 62. ff. de Edil. Edict.* vix ac ne vix quidem concedent leges donatario facultatem conveniendi reum ad defensionem, uti in onerosis, in quibus, si res vel jura nostra in alium transferimus, mens contrahentium est, quòd velint non solum alteri rem tradere, sed etiam ut traditam possit retinere, & sine ullius molestiâ & interpellatione possidere. *fac. l. bona fides. 31. §. 1. ibi: ut non distrabatur ab ullius persone justiore repetitione. ff. Depos.*

(42.) Denique ex *conventionione* vel pacto ut plurimum sibi prospiciunt contrahentes. Idq; vel quando jus planè deficit, aut dubium & incertum est, vel ubi absolutum & manifestum, ut in prioribus casibus, majoris certitudinis ergò, uti hodiè frequenter

contractibus emtionum adjicitur pactum, daß der Verkäufer gegen männliches An- und Zusprüche den Käufer zu vertreten / und das verkauffte Stück nach gewehres Recht gewehren solle.

(43.) Posuimus porrò *ideo*, per quam dictionem innuimus causam finalem, quæ mox *infra thes. 83.* exponetur. Ex causâ enim finali, dignoscitur genus agendi, & cur aliquem in forum trahamus.

*Adversus quos datur.* (44.) Per verbum sequens, *aliquem*, in masculinô genere positum, subintelligimus etiam foeminas, & generaliter omnes superius enarratas personas; sive *absentes*, *l. si ideo. 55. §. 1. l. si dictum. 56. §. sed etsi. 6. ff. de Eviçt. vid. Sichard. ad l. emtor. 8. C. d. tit. & Hug. Donell. n. 9.* sive *presentes* in judicio sint. *d. l. si ideo. 55. §. 1. ibi: sive autem absit, sive presens sit. ff. de Eviçt.* Siquidem non sufficit, ad id, ut denunciationi satisfiat, auctoris in judiciô præsentia, sed ut instructus adsit, litiq; adlistat. *l. cum successores. 23. C. de Eviçt. l. venditor. 49. ff. de Judic. l. 1. C. de Peric. & com. rei vend. Casp. Cabal. tr. de Eviçt. §. 3. n. 97. Matth. Berlich. part. 1. præf. conclus. 24. n. 37. ubi in Supremô Appellationum Dresdensi judicio, judicatum fuisse testatur.*

(45.) Modò vel ex dispositione juris, vel ex pactioe sint obligati, & non ultrò accedant. Nam qui ultrò non commonefacti ad judicium veniunt, & alienas lites in se suscipiunt, non inducti ad hoc vigore obligationis veræ vel quasi, non sunt pro veris denunciatis, sed pro defensoribus habendi, *quibus de tit. ff. de Procurat. & defens.* qui sunt inidonei, quando non cautionem judicatum solvi præstant. Eâ autem præstitâ reus omninò est dimitendus, quia nihil decedit actori, cum propter judicatum solvi cautionem sit tutus & liber. *l. sed & hæ. 35. §. defendere. 3. l. qui proprio. 4. §. qui alium. 2. ff. de Procurat.*

(46.) Hic tamen non quemvis possessorem & detentatorem, qui alienò nomine possidet, sed eum, qui proprio ac suo nomine tanquam Dominus rem tenet, accipimus, qui putat se esse Dominum ex causâ, quam ab auctore habet, à quò si res per tertium

evin-

evinci intenditur, auctorem suum laudare, h. e. nominare, indicare, eiq; litem motam denunciare debet ac potest, ita ut si res evincatur, simul proprietatem ejus, quam habere existimat, statim vel ex post facto amittit. *Frider. Hiltrop. in Process. judic. part. 2. tit. 28. n. 5. Marant. in Spec. aur. p. 6. membr. 6. tit. de nom. auct. num. 1. Process. Ordn. tit. 14. §. fin.*

(47.) Qui verò solum alienò nomine detinet, is liti non est implicandus, si nominaverit suum, cujus nomine detinet auctorem, h. e. verum possessorem, *l. 2. C. Ubi in rem act. vid. supr. thes. 18.* Is enim, à quo causam seu titulum rei, vel juris, quod possidemus ex jure & conventionione antegressa habemus, passim in jure nostrò *auctor, l. si per imprudentiam. 51. in pr. l. si fundo. 53. §. 1. l. si ideò. 55. in pr. l. Herennius. 63. §. Herennius. 2. ff. de Evict. l. auctore laudatò. 7. l. emtore. 8. l. si fines. 10. l. si cum quaestio. 17. cum l. seq. C. eod. tit. l. Pomponius. 13. §. cum quis. 1. ff. de Acq. poss. l. an vitium. 5. in pr. ff. de Div. & temp. præscr. l. 1. C. de Peric. & comm. rei vend. l. 1. C. Ubi in rem act. l. libera. 8. C. de Sent. & interl. omn. jud. Process. Ordn. tit. 14. in pr. & auctrix, l. super emti. 16. C. de Evict. & respectivè quoad hoc judicium *denunciatus*, & quidem primus, Fidejusfor autem pro eo intercedens, *secundus auctor* appellatur. *in l. illud. 4. in pr. ff. de Evict.**

(48.) Quòd si aliqua res sæpiùs esset vendita; aut aliò titulo in aliquem translata, auctor vicissim suo immediato auctori, & secundus tertio, & sic consequenter litem denunciare potest. *l. qui concubinam. 29. §. si heres. 3. ff. de Leg. 3. l. si res. 59. ff. de Evict. Sichard. ad l. emtor. 8. C. de Evict. n. 7. & Hug. Donell. n. 13. 14. 15. Capyc. decis. 197. n. 9. Just. Mejer. ad lib. 21. ff. tit. 2. thes. 7.* etiamsi per mille manus res ambulasset. *Cardin. Tusch. concl. 353. n. 7. 8. lit. E.* Aliàs auctori sui auctoris mediato quis litem denunciare non potest, nisi suus auctor expressè ei cesserit jura & actiones, & constituerit eum procuratorem in rem propriam. *Sigism. Scaccia lib. 1. de Judic. c. 30. num. 11.*

(49.) Si verò *plures* sint auctores, ut focii, vel qui rem communem habent, omnibus & singulis, non uni lis denuncianda

est. text. est in l. si rem. 62. §. 1. ff. de Eviēt. Omnes enim & singuli defendere debent causam in solidum, h. e. nullus ex heredibus potest dicere; Ego defendam pro meâ parte, quâ sum heres, quia defensionis natura est individua. per l. cum ex causâ. 139. §. l. stipulationum. 2. §. ex his. 2. l. in executione. 85. §. in solidum. 5. ff. de V. S. vid. Andr. Gail. lib. 2. Observ. 14. ubi ita in Camerâ conclusum testatur. ibidemq; Bernh. Græven. Emmeric. à Rosbach. in prax. Civ. tit. 48. n. 21.

(50.) Quemadmodum autem, non solum is, qui jus denunciandi semel acquisivit, sed etiam in suos heredes derivavit, potest litem denunciare: Ita non solum adversus illum, qui nobis est obligatus, sed etiam adversus suos *heredes* & successores, denunciando litem agere ad assistendum possumus. l. si per imprudentiam. 51. §. 1. l. si rem. 62. §. 1. ff. de Eviēt. l. emtore fundi. 8. cum l. seq. l. si ob causam. 13. l. si parentes. 20. cum seq. l. cum successores. 23. ibi: auctores heredibus, quocunque gradu constitutis assistere negotio denuncia. C. d. t. Francisc. Viv. lib. 3. decis. 510. n. 5.

(51.) Et quidem, si *plures* sint *heredes*, omnes in solidum denunciandi sunt, omnesq; debent subsistere, & quolibet deficiente, omnes tenebuntur. per jura supr. th. 49. allata. Justus Mejer. ad tit. 2. lib. 21. Pand. thes. 7.

(52.) Quid si hereditatem nemo adiisset, & sic autor post se heredem non reliquisset? Tunc hereditati jacenti, ad rem vel precium recuperandum lis denunciatur. Frid. Hiltrop. part. 2. tit. 28. n. 10. Marant p. 6. membr. 5. tit. de laudat. n. 14.

(53.) Et *pupillo* præscitu tutoris lis denunciari potest; vel si non appareat, ipsi etiam pupillo. text. in l. si dictum. 56. §. fin. ff. de Eviēt. Cabal. tract. de Eviēt. §. 3. n. 142. vid. Carol. Malin. tr. de Usur. num. 309. Baccov. ad Treutl. vol. 2. disput. 2. thes. 7. lit. a. verb. quid si heres. Et si tutore careat, melius fore existimamus, petendum esse à Magistratu tutorem vel curatorem, ad litem constituendum, argumento aliarum actionum, quæ non validè in pupillum intentantur, sine præscitu tutoris, vel deficiente tutore. t. t. Inst. de Auctor. tut.

(54.)

(54.) Sed quid dicendum de *Fidejussoribus*, si quos evi-  
ctionis nomine denunciatus principalis dederit? *l. emptori 37. in*  
*pr. ff. de evict.* Et lis ei denunciari potest, sed non est necesse  
quando alter mavult principales convenire. *l. auctore laudato. 7. &*  
*seq. C. de Evict. ubi Hug. Don. n. fin.* quia in hanc ipsam causam, fi-  
dejussor conventionem se obligavit. *fac. l. 88. de V. O.* Nam in obli-  
gatione fidejussoria nihil est propriam fidejussoris, sed totum  
pendet ex obligatione principalis rei. §. *fidejussores. 5. Inst. de Fide-*  
*juss.* Itaque auctore liberato, unà etiam liberantur fidejussores si-  
ne suo facto. *l. in omnibus. 43. ff. de Solut. & liberat. & condemna-*  
*to principali, simul condemnatus censetur fidejussor, tanquam*  
*accessor. l. auctore. 7. C. de Evict.* Fidejussor autem electus & con-  
ventus, iterum denunciare potest ei pro quo fidejussit, & si vult,  
esse indemnus tenetur. *Cas. Ursil. in annot. ad Matth. de Afflict. de-*  
*cis 49. n. 1.*

(55.) Secus est in *Procuratore*, sive omnium bonorum, sive  
alicujus partis. *Umm. disp. ad Procep. 11. tb. 6. n. 18. Cabal. 17. de Evict.*  
*§. 3. n. 139. & 140. per l. item veniunt. 20. §. petitam. 11. ff. de Petit. hered.*  
Quia obligationes & actiones ex obligatione tanquam ex matre,  
non sunt dirigendæ adversus procuratores, sed adversus prin-  
cipales.

(56.) De eò auctore, qui *sciverit* moveri litem alicui, non  
levis est concertatio. Adhuc denunciationem faciendam cen-  
semus. *l. siideo. 55. §. 1. l. si dictum. 56. §. si presente. 4. ff. de Evict. Hug.*  
*Donell. ad l. 8. C. de Evict. n. 11. Ampliss. Dn. Bened. Carpz. Respons. jur.*  
*Elect. lib. 3. tit. 2. resp. 16. n. 2. & seqq.* Nemo enim ad defendendum  
alterum & se exponendum periculis, ultrò occurrere debet, & qui  
non vult uti remediis pro damno dato inventis, is sibi imputare  
debet, si damnum deinde patiatur. Leges præterea generaliter  
loquuntur; eaque denuntiatio, non solum fit rei insinuandæ cau-  
sæ, ut auctor litem moveri cognoscat, sed etiam defensionis obti-  
nendæ gratia, & incitationem continet ad aliquid faciendum,  
scil. ut veniat denunciatus & defendat denunciantem, & ut ipse  
reus conventus declaret, quid sibi velit ab auctore fieri, cum pos-  
sit etiam sese defendere ex juribus propriis. *l. emptori. 28. C. de Evict.*  
*c. ult.*

*c. ult. X. de Emt. vend. 2. F. 25. vid. Didac. Covar. lib. 3. var. resol. c. 17. n. 3. Reinb. Baccov. vol. 2. disp. 2. th. 7. lit. b. Joan. Baptista Costa tr. de quot. & rata. qv. 122. n. 12. Sigism. Scac. lib. 1. de Judic. cap. 30. n. 10. Decis. Capel. Tholos. 408. Baro Schenk. 2. F. 25. n. 5. Joan. Niel. disp. feud. 9. th. 2. lit. g. Petr. Nicol. Mozz. de Contract. rubr. de natura emti & vend. n. 2.*

*In quibus negotiis.*

(57.) Addimus *in causâ civili*. Quod intelligendum, sive *lis de re corporali*, sive *incorporali*, l. 1. C. de Eviēt. l. 4. & r. t. ff. de Hered. vel act. vend. sive de *mobilibus*, sive *immobilibus*, l. cum fundus. 48. ff. de Eviēt. auth. qva in provincia. ibi: de alia qvalibet occasione, vel de qvalibet re. C. Ub. de crim. ag. vid. Johan. Monach. in pract. Judic. part. 5. §. 9. cap. 4. *animatis & inanimatis*, l. vacca. 43. ff. de Eviēt. *allodialibus*, sive *feudalibus*, tit. de Invest. de re alien. fact. lib. 2. F. 8. in pr. ibi Baro Schenck. Matth. Coler. decis. 75. part. 1. Job. Borcholt. de Feud. cap. 9. n. 13. & seqq. H. Pist. lib. 2. qvæst. 10. Johan. Niel. disp. feud. 9. th. 2. lit. b. & th. 1. lit. c. Elegans exemplum, refertur à Matth. Berlich. p. 1. decis. 124. in feudo cum consensu Domini proximiorum agnatorum alienato, si reliqui agnati illud revocare velint. Et quod litis denunciatio locum habeat, in Appellationum Judicio Dresdensi pronunciatum fuisse testatur.

(58.) In causis *Criminalibus* verò, denunciatio delinquentem non relevat, *Wehrmann haben hilfft nicht. ut ex relatis à Magnifico Domino Ordinario & Consule hujus Civitatis longè eminentissimo D. Sigismund. Stuelckhaus, Observ. 73. apparet*. In delictis enim, qvilibet secum explorare debet, an expediat consilium, & an contumeliæ ab alio prolatae & auditæ divulgandæ. Statuit tamen Berlich. p. 1. decis. 75. n. 1. & seqq. Si mandatarius, aut procurator in delictis conveniatur, non quidem ad eum effectum denunciationem fieri posse, ut reus liberetur, sed saltem ut mandatarius à mandatore defensionibus instrui possit.

(59) Neque nobis persuadere possumus, quod si advocatus, ad instantiam partis aliquid conficiat, & judici offerat, adversa autem pars in eo aliquid injuriosum contineri dicat, & ob id advocatus injuriarum conveniatur, tunc is suo clientulo litem denunciare

ciare teneatur, uti sentit Matth. Berlich. p. 1. decis. 75. n. 5. & seqq.  
Non enim suo, sed alieno nomine hoc fecit; quia de causa merito  
liberas habere debet aedes. per l. si quis. 7. §. ult. ff. de Jurisd.

(60.) Similiter se res habet in eò casu, ubi concurrentibus  
indiciis, Magistratus ad urgentissimam instantiam delatoris vel  
accusatoris, injustè aliquem arrestari vel carceri mancipari jussit,  
eidemq; damnum & injuriam intulit. Matth. Berlich. d. decis. 75.  
n. 10. & seqq. Magistratus enim, ad instantissimas preces delato-  
ris vel accusatoris, certis circumstantiis perpensis, tenetur offi-  
cium suum impartiri, etsi aliquid, quod in ignominiam redundet  
alterius, commisit, periculo partis fecisse videtur. fac. quæ habet  
Dn. Carpz. in Pract. Crim. p. 3. q. 102. n. 53. & q. 127. n. 24. Secus quando  
irrequisitus procedit, & limites juris transilit. Tunc enim æquè  
punitur ac privatus. text. est in l. nec magistratibus. 32. l. injuriarum.  
13. §. quæ jure potestatis. 6. ff. de Injur. And. Gail. lib. 2. Obs. 76. Matth.  
Coler. decis. 161. n. 6. & seqq.

(61.) Cæterùm non simpliciter & superficialiter vel extrajudi-  
cialiter litis quæstio auctori significanda, sed auctoritate Judicis. Coram quo  
Judice.  
arg. l. de pupillo. 5. §. meminisse. 10. ff. de Oper. nov. nunc. ad exemplum  
aliarum actionum. l. fin. C. de Exhib. & transf. reis. §. omnium. 3. Inst.  
de Poen. tem. litig. c. quoniam. 11. X. de Probat.

(62.) *Judex* autem hujus conventionis, coram quo denun-  
ciatus se sistere debet, est *Judex litis prioris* vel rei conventi.  
Hinc illa verba, *coram eodem judice quo ipse pulsatus*,  
Definitioni inseruimus. per l. 1. C. ub. in rem act. exerc. deb. ibi Si-  
chard. n. 9. l. si cum quæstio. 17. C. de Eviçt. l. ubi acceptum. 30. l. venditor.  
49. in pr. ff. de Judic. Cabal. tr. de Eviçt. §. 3. n. 118. Matth. de Affiçt. de-  
cis. 227. n. 2. Sigis. Scac. lib. 1. de Judic. cap. 30. n. 15. Baccov. ad Treutl.  
vol. 2. disp. 2. tb. 8. lit. a. Idque tum propter continentiam causæ, ne  
his in aliud forum trahatur: Baccov. d. loc. verb. in foro rei conventi.  
Niel. disp. feud. 9. tb. 2. lit. f. Tum propter naturam defensionis & li-  
berationis, cum defendere nihil aliud sit, quàm vicem rei subire.  
l. minor. 51. §. 1. l. sed & 35. §. defendere. 3. ff. de Procurat.

(63.) Nec ita evocatus denunciatus, utcunqve sit *privile-  
giatus*, fori privilegio uti potest, sed omnino forum, ubi lis de-  
C  
evin

evincenda re mota accedere debet. per l. venditor. 49. l. ubi acce-  
ptum. 30. l. heres absens. 19. ff. de Judic. l. 1. C. Ub. in rem act. Ampliss. Dn.  
Carpz. p. 1. C. 3. Def. 28.

(64.) Etiam si *Clericus* sit. Andr. Gail. Obs. 37. n. 7. ubi in Ca-  
merareceptum testatur. ibi Greven. confid. 8. Cabal. tr. de Eviēt. §. 3. n.  
119. & seqq. Marant. in spec. aur. p. 6. memb. 5. tit. de laudat. n. 10. Anton.  
Capp. decis. 197. n. 7. Joachim. Myns. cent. 1. Obs. 22. n. 7. Cent. 5. Obs. 14.  
& Cent. 6. Obs. 33. Francisc. Riv. decis. 372. & decis. 49. n. 8. ubi juxta eandē  
se. sepius judicasse, & vidisse in practica observari, dicit. Modest. Pistor.  
vol. 2. consil. 17. n. 28. 29. 50. & 54. Didac. Covar. pract. quest. 8. n. 3.  
Baccov. ad Treutl. vol. 2. disp. 2. tb. 8. lit. a. verb. in foro rei conventi. vid.  
Johan. Monach. in pract. Judic. part. 5. §. 9. c. 3. n. 10. & seqq. Qui aliās  
regulariter Ecclesiasticum forum sequuntur. c. quanto. 3. X. de Ju-  
dic. c. si diligenti. 12. X. de For. compet. c. lator. 5. X. Qui fil. sint legit. late  
Anton. Bulaus in bor. subcisiv. discurs. 7. n. 2. & seqq.

(65.) Vel *Studiosus*. Ratione enim consequentiæ & con-  
nexitatis, judex oppidanus, habebit jurisdictionem contra stu-  
diosum, quasi vicarium auctoris, quam directè & principaliter  
non haberet. vid. Sibold. ad l. emtor. 8. C. de Eviēt. n. 11. & 14. & ad l.  
1. C. Ub. in rem. act. n. 9. quia regula, actor forum rei sequi debet,  
hoc in passu locum non habet. Non enim tam ad novam litem,  
quæ emergit inter denunciantem & denunciatum, quam ad prio-  
rem, quæ inter denunciantem & denunciantis auctorem ventila-  
tor & capta fuit, respicitur. Unde & Tobias Paurmeist. lib. 2. de Ju-  
risd. c. 4. n. 95. notat, directò Statui Imperii & Imperio mediatè  
subjectum, si quid vendiderit ei, qui immediatè subest, eiqve lis  
coram Imperatore mota denunciatur, ejusdem tribunalis juris-  
dictionem subeat, necesse esse.

(66.) Idem supra tb. 54. de *Fidejussore* statuimus, ut coram  
principalis debitoris judice, ex capite continentia causa conve-  
niri possit. Ant. Hering. tr. de Fidejuss. cap. 23. n. 38. & seqq.

(67.) Quod ad *fiscum* quoq; extendere conatur Hier. Treutl.  
vol. 2. disp. 2. tb. 8. lit. c. vid. Cabal. tr. de Eviēt. §. 3. n. 124. 125. 126. Didac.  
Covar. pract. quest. 8. n. 3. Verum, quoniam is qui à fisco aliquid  
emit, statim securus est, relicta saltem facultate fisco intra qua-  
driennium conveniendi; per l. Benè à Zenone. 3. C. de Quadrien.  
præsc.

*præf. 8. ult. Inst. de Usucap.* Frustra de fisco sequente forum emtoris denunciantis conventi disputatur, cum nec ipse denuncians conveniri possit. *Baccov. ad Trentl. d. loc. lit. c.* Quando fiscus aliàs evictionem præstare debeat, distinctim in *Disput. nostra de Jure Evict.* sub *th. 76.* tractavimus.

(68.) Sed & hoc silentio non prætereundum, quod sub Judice competente, etiam *Commissarium*, seu Principis delegatum, intelligamus, modo Princeps ordinarius sit & competens. *arg. l. nullū. 10. C. de Test. Sicbard. ad l. emtor. 8. C. de Evict. n. 12. & 13. Matth. de Afflict. decis. 227. ibi Prosper Caruvit. in addit.* Aliàs si ex *compro-misso* denunciatis Commissarii deputati, nequaquam ad defendendum denunciatus accedere deberet. *per l. fideiū. 56. §. 1. ff. de Evict.*

(69.) Quod si denunciatus comparere nollet, non statim auctoris Judex accedendus est. *per l. fin. C. lib. in rem. act. Bernhard. Grav. lib. 1. pract. concl. 37. consid. 8. n. 7. & 10.* sed contra contumacem, ad *Ehehaff vnd Hülffe* / secundum Processum Saxonicum procedendum.

(70.) Subjecimus voculam *pulsatus*. Lis enim cum effectu mota esse debet. *per l. si parentes. 20. ibi: & questio domini mota est. l. si ve possessio. 14. l. si post perfectum. 24. ibi: mota fuerit questio. C. de Evict. l. habitationum. 18. §. 1. ff. de Peric. & comm. rei vend.* Movere autem quandoque, ut hîc, idem est quod agere. *text. in l. jubemus. 4. circ. fin. ibi: ut si medio tempore movere distulerint. C. de Præpos. Sacr. Cubic. lib. 12. l. sicut. 3. in fin. C. de præsc. 30. vel 40. ann. l. benè à Zenone. 3. ibi: omnis motus, i. e. omnis actio. C. de Quadr. præsc.*

(71.) Ex quo liquet, qualis denunciatio nobis in considerationem veniat; Non enim hæc significatio de re quavis esse debet, nec sufficit interpellatio extrajudicialis, vel jactabundi alicujus voces, cum aliud sit agere, aliud agere velle: *sec. l. amplius. 15. ff. Rat. rem. hab.* Verum de lite denunciante motâ, ut facile sic à reliquis denunciationibus separetur. *Petr. Heig. part. 1. q. 36. n. 11. 12. vid. Ampliſ. Dn. Bened. Carpz. Resp. Jur. Elect. lib. 5. tit. 6. resp. 44. n. 7. & seqq.* Ubi ergo nulla offensio vel conventio, ibi nulla provocatio & defensio, sibiq; imputent, qui non vocati accedunt. cum non

requisitus, defendere non cogatur. *Andr. Fachin. lib. 2. contr. 36. Circ. fin. Sich. ad d. l. emtor. 8. C. de Evid. n. 16. 17. 18.*

Forma de-  
nunciandi.

(72.) Notanter autem diximus *legitimè*. Non enim sufficit nuda notificatio litis, verbis qualibus qualibus apud Judicem facta. e. g. Ich will diesen oder jenen hiermit litem denunciiren haben: sed legitima, ut omnes actiones, simulq; citatoria esse debet, ut veniat auctor ad aliquid faciendum. *vid. Marant. p. 6. memb. 5. tit. de Laudat. n. 12. Joseph. Mascard. de Probat. concl. 615. n. 8. 10.* Si quidem de illo denunciationis modo sermo nobis est, quo auctorem nostrum convenimus, & ad rem in judicio defendendam, quasi provocamus. *l. si rem. 29. §. ult. ibi: ut de ea re agenda adsit. l. si rem. 62. §. 1. ibi: omnibus denunciari & omnes defendere debent. l. si fundo. 57. §. 1. l. siideo. 55. §. 1. l. si plus. 74. §. mota. 2. ff. de Evid. l. si parentes. 20. l. cum successores. 23. C. eod. tit. l. qui absentem. 75. ff. de Procur. l. 1. C. de Peric. & comm. rei vend. c. fin. X. de Emt. vend. Fachin. lib. 2. contr. 35. Sichard. ad l. emtor. 8. C. de Evid. n. 5. 6. Hart. Pist. Obs. 228. n. 7. Joan. Baptist. Costa tr. de quota & rat. q. 122. n. 12. vid. Steph. Auffer. in addit. ad decis. Capell. Tholos. 408. n. 7.*

(73.) *Legalitas* autem maximè in eò consistit, quod non propria fiat auctoritate, sed *auctore Prætoris*, qui denunciationem illam per officialem vel alium ministrum aut vivâ voce, aut in scriptis indicare denunciato facit. *l. ea quæ. 7. cum l. seq. C. Quom. & quand. jud. l. cum dilectus. 6. X. de Dol. & contum.*

(74.) Non tamen inficias iri potest, auctoritatem Prætoris non esse necessariam, scil. quando inter partes ita conventum, ut extrajudicialis vel qualis qualis notificatio sufficere debeat. Omnes enim licentiam habent, his quæ pro se introducta sunt renunciare. *text. in l. si quis conscribendo. 51. C. de Episc. & Cler. l. si quis in conscribendo. 29. C. de Pact.* Quantumvis melius suis rebus consulant, qui nihilominus per Judicem litem auctori suo significant. Nec exinde statim sequitur, si denuntiatio extrajudicialis propter conventionem æquè valida sit ac judicialis, quod rectè distincta fuerit à Doctoribus in Judicialem & Extrajudicialem. Si quidem jus denunciandi alicui competere potest, etiam si nunquam alteri litem notum faciat, & modum denunciandi exprimat.

(75.)

(75.) Quandoque autem *summariter* petitio institui potest, quandoque *per ordinarium libellum*. Si ius & facultas <sup>Quando</sup> statim vel ex jure, vel ex literis reversalibus appareret, utique summariam pro recognitione implorationem, sufficere putaremus. Quia ex literis paratam executionem habemus, & in confessum nullæ sunt partes iudicis in condemnando sed in exequendo. *l. un. C. de Confess. Carol. Molin. tr. de Usur. n. 208.* Si verò in facto invicem non convenirent, vel instrumentum contractus utroque citroque, conventionem, ubi exceptiones non adimpleti contractus & aliæ similes ex emto profluente, opponi possent, contineret, utique ordinarius processus inchoandus, & libellus ordinarius offerendus, Quia ubi in facto partes discordant & res altiore indaginem requirit, ibi cognitio causæ & sententia est necessaria, ac proinde ordinarius processus instituendus. *l. nec quicquam. §. 1. ff. de Offic. Procons.* Ubi autem in facto conveniunt, & vel ex confessione, vel ex literis reversalibus recognitis jus denunciandi oritur, ibi non requiritur condemnatio, sed iudicis est exequi. *Matth. Coler. de Process. Exec. p. 4. c. 7. n. 1.*

(76.) Nihil autem refert, quoad legalitatem, sive ante, sive <sup>Quando</sup> post *litis contestationem* iudici fiat, cum per solam litis contestationem denunciatio vel auctori in jure suo non præjudicetur. *l. rem quam. 29. §. fin. l. si fundo. 53. §. 1. ff. de Evid. l. si parentes. 20. C. eod. Process-Ord. tit. 14. in pr. ibi: Es were gleich vor oder nach der litis contestation gesucht. Hug. Donell. ad l. 8. C. de Evid. n. 12. Sigis. Scaccia, lib. 1. de Judic. cap. 30. n. 4. Dn. Carpz. p. 1. C. 3. Def. 29. & in Respons. Jur. Elect. lib. 2. tit. 2. resp. 9. n. 1. & seqq. Berlich. d. concl. 24. n. 79. & seqq. Conrad Schlef. ad lib. 8. Cod. tit. 45. n. 5. latè Johan. Niel. dup. feud. 9. th. 2. lit. f. Aliter Marant. d. loc. n. 5. qui quoad causam onerosam concedit, in iurativa autem post litem contestatam fieri posse, negat. quem sequitur Emmeric. Rosbach. in prax. civil. tit. 48. n. 8. Cyn. ad l. emtore fundi. 8. C. de Evid. n. 1.*

(77.) Quamvis verò quolibet tempore reus auctori denunciationem intimare possit, ut rei agenda adsit; hoc ita tamen accipiendum est, ne prope ipsam condemnationem vel sententiam definitivam, h. e. post aperta testium dicta (cum post publicatas

attestationes nulla ulterior probatio admittatur. *auth. at qui semel. C. de Probat.*) & renunciationem allegationum factam, verum ita mature fiat denunciatio, ut auctori defensiones salvae esse possint. *d. l. si rem. 29. §. fin. ff. de Eviēt. ibi gl. c. fin. X. de Emt. vend. Heinr. Boer. cl. 2. disp. 3. ib. 85. Jacob. Thoming. vol. 2. cons. 7. n. 42. Herm. Vult. in Jurispr. Rom. lib. 2. tit. 16. n. 7. Joan. Petr. de Ferrar. in form. libel. in caus. vend. §. promittens de eviētionē, n. 8.*

(78.) Et omisa in prima instantia, in causa *appellationis* fieri poterit. *Joan. Monach. in pract. Judic. p. 5. §. 9. c. 3. n. 4.* quia per appellationem reducitur res, ad tempus litis contestatae, *l. si ita. 13. C. de Procurat. l. qui cum. 14. C. de Bon. libert.* ut liceat non probata probare, non allegata allegare. Quamvis de Jure Canonico, nulla alia probationes recipiantur, super iisdem vel directo contrariis articulis. *cl. 2. de Testib. Const. Elect. Aug. p. 1. Const. 21.*

(79.) Modo causa sit integra. *d. l. 29. §. fin. Didac. Covar. lib. 3. var. resol. c. 17. n. 8. Cabal. tr. de Eviēt. §. 3. n. 144. Joan. Berber. in viator. Jur. rubr. de emt. & vend. fol. 41. in pr. Bernh. Wurmser. in pract. forens. lib. 1. tit. 32. obs. 1. vid. Francisc. Vir. lib. 1. decis. 510. n. 6.* & denunciāns vel reus conventus fideliter in iudicio versetur, & sic se gerat, ne quid negligentiae, aut culpa ei imputari possit. *l. si dictum. 56. §. 1. ff. de Eviēt. l. si cum questio. 17. C. eod. vid. Hug. Donell. ad l. 8. C. de Eviēt. n. 3. & seq. Berlich. p. 1. pract. concl. 24. n. 90. & seqq. Schneid. in §. actionum. 28. rubr. de act. ex emt. Inst. de Act. n. 55. 56. 57.* Unde denunciāns probare tenetur, quod defenderit causam, quantum in se fuit. *Joseph. Mascard. de Prob. concl. 615. n. 4. & seq.*

(80.) Malè autem suis negotiis consulunt, multisq; periculis & molestiis se exponunt, qui non accersito auctore, vel non petitis armis ab auctoribus cum adversario congregiuntur, & tandem ad fastidiosas suppetias recurrunt. Melius enim est, intacta jura conservare, quam post vulneratam causam remedium quærere velle. *lult. C. In quib. caus. in integ. restit. necess. non est.*

(81.) Modus denunciandi, vel *libellus denunciatorius*, facile formari potest ex iis, quæ hactenus dicta sunt, & quæ habet *Steph. Aufrer. in addit. ad Capel. Tholos. 408. n. 7. Sich. ad l. 8. C. de Eviēt.* & alii à nobis citati Doctores.

(82.)

(82.) An verò exemplum libelli, citationis & reliquorum actorum denunciato transmitti debeat, non incommodè hîc quæritur? Affirmativam, in primis si Processus instituaturs ordinarius, tuebimur, quo nimirum auctor de lite certior reddatur, & scire possit, an cedere, an verò contendere velit. *l. 1. in pr. ff. de Edend. cl. causam. 3. X. de Elect. & electi. potest. l. nomen. 4. C. Quæ res pign. obl. poss. l. cum plures. 15. ff. de Reb. auth. jud. poss. Process-Ordn. tit. 14. in pr. ibi: Und ihme von denen / was alleht halben vorbracht / Abschrift vnd vollstendiger Bericht mit überschiekt. Jas. & communiter Dd. in l. emti. 21. C. de Eviēt. n. 38. Didac. Covarr. lib. 3. var. resol. cap. 17. n. 3. Mascard. de Probat. conel. 615. n. 11. 12. 13. & 26. Jacob. Thoming. vol. 2. conf. 7. n. 41. Scaccia lib. 1. de Judic. n. 9. Ant. Thesaur. decis. 218. n. 1. Fach. lib. 2. controu. c. 35. Dn. Carpz. p. 1. C. 3. Def. 29. & in Respons. jur. Elect. lib. 3. tit. 2. resp. 19. n. 8. & seqq. Berlich. part. 1. pract. concl. 24. n. 82. & seqq.*

(83.) *Finis* & scopus hujus actionis in eò consistit, ut denunciatus denunciantem *adversus suum actorem defendat*. Non enim oppido motâ quæstione sive lite, denunciatus vel auctor, à quò rem acquisivimus, ad rem vel precium restituendum, sed intereà ad rem duntaxat defendendam conveniri potest, ut nimirum liti adsit, ejusdemq; defensionem simul cum ipsò denunciante suscipiat, causamq; instruat. *l. si rem. 29. §. ult. l. si rem. 62. §. 1. l. si plus. 74. §. mota. 2. ibi: non ad precium restituendum, sed ad rem defendendam venditor conveniri potest. ff. de Eviēt. l. si parentes. 20. l. emti. 21. l. cum successores. 23. l. si permutationis. 29. C. eod. tit. l. venditor. 49. in pr. ff. de Judic. l. qui absentem. 75. ubi Bart. Angl. Paul. de Castr. & alii. ff. de Procurat. Process-Ordn. tit. 14. §. Würde aber. 2. Hart. Pist. Obs. 228. n. 9. & seqq.* Atque ad hoc verba definitionis, *ut ipsum adversus suum actorem defendat*, conducunt.

(84.) Incumbit itaque Judici denunciato præcisè præviâ citatione & cognitione, defensionem injungere, *Hartm. Pist. d. Observ. 228. n. 46.* faciendam vel instrumentis, vel literis, vel testibus. *d. l. si parentes. 20. & l. emti actio. 21. C. de Eviēt. Speculat. tit. de Emt. & vend. §. fin. Frider. Hiltrop: in Process. s. judic. part. 2. tit. 28. n. 15: additâ solitâ comminatione. Johan. Monach. in Pract. judic. part. 5. §. 9. cap. 3. n. 7.*

(85.)

*Finis.*

(85.) Antequam autem citatio ad denunciatum dirigatur, denunciatus suo actori respondere non tenetur, sed merito responsio in terminum denunciato praestitutum differtur. *Proceß-Ordn. tit. 14. in pr. Myns. cent. 3. Obs. 24. Marant. part. 6. memb. 5. tit. de Laudat. num. 8.*

(86.) Denunciatus tunc comparens, aut arma suppeditat denuncianti & eidem assistit; aut litem in se solum suscipere fatagit, praestando cautionem iudicatum solvi, faciendo omnia & praenumerando sumptus, ac si ipse conventus fuisset. quia defendere in iudicio, est id facere, quod Dominus esset factururus. *l. sed & h. 35. §. defendere. 3. ff. de Procurat.* Et cessabit Processus denunciatorius; quia in confessum nullae amplius sunt partes iudicis, quam in exequendo. *l. un. C. de Confess. ibiq. Dd.* Aut reluctatur & existimat, se non esse obligatum ad defensionem, tunc litis denunciatio ad finem & sententiam legitimè perducenda.

(87.) Interim autem processus, qui agitatur inter denunciantem & suum actorem, non est differendus aut seponendus, sed pertexendus, *l. 1. Ubi in rem act. Proceß-Ordn. tit. 14. §. Wilt de aber. 2. Berlich. p. 1. pract. concl. 24. n. 101. & seqq.* nec cogitur actor denunciantis quiescere, donec denunciatus se ad subministrandum arma offerat. *Ampliss. Dn. Bened. Carpz. Respons. jur. Elect. lib. 3. tit. 2. resp. 20. n. 1. & seqq.*

(88.) Econtra quando denunciatus litem suscipere & in se derivare cupit, actoriq; denunciantis, offert cautionem iudicatum solvi, utique nolens volens eundem agnoscere & denunciantem dimittere debet. *Sich. ad l. emtor. 8. n. 10. C. de Evid. ubi hodiè ita de consuetudine servari dicit. Gloss. in l. 1. C. ubi in rem act. Hiltrop. in s. Proceß. jud. part. 2. tit. 28. n. 8. Hug. Don. ad l. si parentes. 20. C. de Evid. n. 1.* Hodiè tamen in praxi contrarium observatur in his terris. *Proceß-Ordn. tit. 14. §. fin. Berlich. d. concl. 24. n. 105. & seqq. Dn. Carpz. d. loc. n. 16. & seqq.*

(89.) Et hoc casu etiam sententia in denunciatum fertur. *Johan. Monach. in Pract. judic. part. 5. §. 9. cap. 3. n. 9.* Quae alias in denunciantem, si nudè assistat, ferri deberet. *l. 1. C. de Peric. & com. rei vend. l. si per imprudentiam. § 1. in pr. l. si cum. 66. in pr. ff. de Evid. Just. Mejer. ad tit. 2. lib. 21. Pand. thes. 12.*

(90.)

(90.) Sequitur denique, *Et nisi hoc faciat, omne damnum refundat*, re evictâ, vel in judiciô superatô, & insuper rei aestimationem, cum omni eo quod interest. *l. venditores, 102. ff. de V. O. l. si cum questio. 17. C. de Eviçt. Process-Ordn. tit. 14. §. 1. in fin. Hartm. Pistor. Observ. 228. n. 15. & seqq. Scaccia de Judic. lib. 1. c. 30. n. 20.* Quibus verbis effectus, si non defendit, denotatur. Non comparente enim denunciâtô, eum damnum, sicut umbra hominem sequitur. Hic enim locum obtinet illud, aut defende, aut solve. Et de hoc jure, quod ex effectu hujus juris profluit, in *Disput. de Jur. Eviçtionum* egimus. Consilium itaque, quod dant Dd. denuncianti, quando litem denunciât auctori, & assistentiam, ac defensionem petit, denunciatus verò id negligit aut recusat, ut protestetur denunciatus de damnis, sumptibus & omni interesse reperendis, *Hartm. Pistor. Obs. 228. n. 32.* est superfluum, nec tamen non aspernendum. superflua enim non nocent.

Effectus.

(91.) Si verò denunciâns absolvitur, ita ut rem ei habere liceat, sumptus à denunciâtô repetere nequit. *l. si status. 18. ibi Gloss. & Donell. n. 1. C. de Eviçt. arg. l. ex empto. 11. §. 1. ff. de Act. emt. junct. l. si per imprudentiam. 51. ff. de Eviçt. Bernb. Scotanus in Exam. jurid. ad tit. ff. de Eviçt.* neque enim cavere aut impedire potest denunciatus, quò minus denunciâns per injuriam aut calumniam vexetur, & cum eventus judicii ostenderit justitiam causæ denunciantis, nihil ipsi imputari potest. *Gloss. in l. 1. C. de Eviçt. Baccov. vol. 2. disput. 2. th. 8. lit. d. in pr.*

(92.) Et hoc ipsò effectu, denunciatio ab Advocatorum pauperum imploratione differt, adversus quos etiam agere possumus, ut nos gratis defendant, & patrocinium suum nobis præstent, *l. providendum. 7. C. de Postul. Appellation-Ordn. tit. Von den Advocaten der Armen. Matth. Coler. de Process. exec. part. 1. c. 2. n. 121.* sed longè aliò fine & ratione, non ut si hoc intermittant, damnum litis nobis rependant, quod denunciati aliàs facere tenentur, *ut modò dictum fuit.*

(93.) Sed hæc, quæ jam dicta sunt, obtinent, quando denunciatio legitimè est facta. Eâ enim prætermisâ denunciatus non tenetur. *text. in l. emtore fundi. 8. ibi: nisi auctori aut heredi ejus denunciaverit. C. de Eviçt. ibidem Donell. n. 7. l. 1. C. de Peric. & com. rei vend,*

D

vend,

*vend. Francisc. Viv. lib. 3. decis. 510. n. 1. & seqq. Jacob. Thoming. vol. 2. cons. 7. n. 39. Matth. Coler. decis. 27. n. 7. Hart. Pist. Obs. 228. n. 6. Amplif. Dn. Bened. Carpz. p. 1. C. 3. Def. 23. & seq. & lib. 3. Resp. jur. Elect. 15. tit. 2. Matth. Berlich. p. 1. decis. 124. n. 6. & part. 1. pract. concl. 24. num. 29. 30. Quia denunciatus, praesumitur magis scire jus rei, quod penes ipsum diutius fuit, quam denunciatus. Et ideo si non denuncio ei, & peto ab ipso instructionem in causa, vel ut mihi assistat, dolo id facere videor. l. si fundo. 53. §. 1. ff. de Evict. Sichard. ad d. l. 8. C. de Evict. n. 3. Etiam si denunciatus promississet de evictione, quocumque modo res evincatur, tamen tenetur denunciatus litem denunciare. vid. Didac. Covarr. lib. 3. var. resol. cap. 17. n. 7.*

(94.) In tantum, ut nec *Ecclesia* omittere denunciationem possit. exceptio enim regulae nullò juris textu fundatur. vid. Illic. Umm. disp. ad Process. 11. thes. 6. n. 20. Dissentit Fachin. lib. 2. controu. jur. n. 38. Mascard. de Probat. concl. 615. n. 17. per l. minorem. C. de integr. restit. min.

(95.) Et quidem totiens denuntiatio facienda, quotiens quis molestatur ac convenitur. Auctor enim adversus quemvis, gegen jedermanniglich/denunciatum defendere tenetur. Contrariam sententiam tueretur *Matth. Berlich. part. 1. pract. concl. 24. n. 100.*

(96.) Hoc tamen notatu dignum, quòd non semper opus sit litis denunciatione. Dantur namque casus, ubi licet alter alterum ad defensionem non evocaverit, tamen ad damni refusionem agere possit. Quando namque notorium est, causam auctoris esse injustam nullamque ipsi competere exceptionem, ita ut omninò & inevitabiliter sequi debeat condemnatio, *sec. l. ex emto. 11. §. emtorem. 12. ff. de Act. emt. arg. l. evictus. 35. ff. de Evict. Bernh. Scotan. in Exam. jurid. ad tit. ff. de Evict. cum ratio finalis, ut scilicet defendatur reus, hic deficiat. Cabal. tr. de Evict. §. 3. n. 73. & seqq. Hieron. Pantzschm. lib. 1. quæst. 4. num. 12. & seqq. Mascard. de Probat. concl. 615. n. 14. 15. Scacc. lib. 1. de Judic. cap. 30. n. 18. circ. fin. Ubicumque enim certum & indubitatum est, causam esse malam, & ejusmodi, in qua nec denunciatus posset vincere, tunc non tenetur denunciatus procedere, sed debet bonam fidem agnoscere, & malam contra deserere rem, de qua movetur lis. d. §. emtorem. 12. l. at quin natura. 19. §. cum me absente. 3. ff. de N. G. Cas. Ursl. in annot. ad Matth.*

*Matth. de Afflict. decis. 49. n. 2. & seqq. Sich. ad l. 8. C. de Evid. n. 21.*  
Inprimis cum auctor hoc casu de ullò damnò aut injurià verè  
conqueri non possit. *Ampliss. Dn. Bened. Carpz. in s. Defin. forens. p. 1.*  
*C. 3. Def. 24. n. 45.*

(97.) Item quando manifestè constat, denunciante frivole  
conveniri, quoniam effectu careret, nec eà omisâ ullum incom-  
modum denunciatis metuere posset, cujus avertendi gratiâ de-  
nunciatio est adinventata. *l. 1. & 2. C. Ubi in rem act. exerc. deb.*  
*Pantzschm. d. loc. n. 16. & seqq. Dn. Carpz. alleg. loc. Def. 27.*

(98.) Vel quando denunciandi necessitas denunciante pacto  
remissa est per denunciatum. *l. Heremius. 63. in pr. ibi: si pacto ei*  
*remissa esset denunciandi necessitas. ff. de Evid. l. emti. 21. C. eod. tit.*  
*l. queritur. 14. §. si venditor. 9. ibi: remittentibus enim actiones suas. ff.*  
*Edil. Edict. l. pen. C. de Pact. Joseph. Masc. de Probat. concl. 615. n. 19.*  
*Bern. Scot. in Exam. jurid. ad tit. ff. de Evid. Just. Mejer. ad lib. 21.*  
*tit. 2. Pand. thes. 8.*

(99.) Sunt & alii casus, in quibus denunciatione superfederi  
potest, quos hinc congerere nostri non est propositi, videre eos li-  
cet, sed cum delectu, apud *Petr. de Ferrar. in Form. libell. in caus.*  
*vendit. §. promittens de evictione. n. 9. Capell. Tholos. quest. 408. in*  
*apostilla. Alex. in l. non solum. §. morte. ff. de Oper. nov. nunc. & in l. 2.*  
*§. voluntate. ff. de Solut. Joachim. Mynsing. cent. 1. Observat. 56. Just.*  
*Mejer. ad lib. 21. Pandect. tit. 2. thes. 8. Matth. Berlich. p. 1. pract. concl.*  
*24. n. 70. & seqq. & alios ibi citatos autores.*

(100.) Et tantum de Denunciationibus Litis. Plures quidem  
utilitates ex hoc jure scaturiunt, de quibus *Socin. in c. quoniam fre-*  
*quenter. 5. §. in aliis. fin. X. ut lit. non contest. Johan. Monach. in Pract.*  
*judic. part. 5. §. 9. c. 6. n. 3. & seqq. & Dd. in l. 2. C. Ubi in rem act.* Sed  
recensitus effectus fontis loco esto.

Nos in DEUM misericordiae pelagus, gratiarum actionum,  
rivulos derivantes, claudimus, & Lectori benevolo, multos er-  
rorum scopulos praternavigare cupienti, in calce iterum ite-  
rumq; distinctionem juris denunciandi ab ipsò factò de-  
nunciandi, & reliquis concurrentibus  
juribus inculcamus.

# COROLLARIUM.

Injuriarum condemnatum suo nomine, *l. furti. 6. §. si quis. 2. §. illud plane. 6. ff. de His, qui not. infam.* tam verbali, quam reali injuriâ, sive civiliter, sive criminaliter, sive ad æstimationem, sive ad palinodiam, actio instituat, ignominiosam & turpissimam infamiæ notam subire, non ambigimus. *text. est in l. 1. ibi: infamia notatur injuriarum suo nomine damnatus. l. athletas. 4. §. ult. ff. de His, qui not. infam. l. etsi severior. 3. ibi: transactio tempore non esse te in numero infamium. l. decuriones. 5. ibi: ignominia notatus es. l. injuriarum. 10. ibi: infamia notatur. l. non damnatos. 18. ibi: perpetuum Edictum infamat. C. Ex quib. caus. infam. irrog. l. infamem. 7. ibi: injuriarum. ff. de Publ. judic. l. judici. 42. ibi: alioquin infamia notatur. ff. de Injur. §. ex quibusdam. 2. ibi: ignominiosi sunt. Inst. de Pœn. tem. litig. c. cum te. 23. ibi: vel minima facta injuria. X. de Sent. & re judic. In tantum, ut nec Judicem injurianti condemnato, existimationem in sententia reservare posse, statuamus. *text. elegans. in l. non poterit. 63. ibi: ut furti damnatum non sequatur infamia. ff. de Furt. d. l. infamem. 7. ff. de Publ. judic. Udal. Zas. in l. acta. 45. §. 1. ff. de Re jud. Bernh. Græven. ad Obs. Gail. lib. 1. observ. 65. consid. 1. pulchrè Herman. Vult. ad §. pœna autem. 7. Inst. de Injur. n. 9. Quamvis communis praxis resistat.**

## FINIS.








X2615937

V. 17





No. 813.

*Ditet*

uridicarum

1643, 1

ARTAM

29

NUN-

NE,

*oritate*

Ordinarii

onsultorum

um Academia,

E

U. J. DOCTORE,

etore,

IDO

IBERG. MISN.

um Petrinô

1643.

schens.

